

*Distinct. 12  
de oleis.*

sublimationis aquarum absinthij, & rosarum meminit: Aqua, inquit, sublimationis absinthij, fit sicut aqua Rosata, & similia, quæ fiunt in vasis sublimationum. Oleorum quinetiam tertium genus, quod maximarum fit virium, resolutione fieri ostendit, cum materiæ heterogeneæ, in corpore coërcitæ & velut cōcretæ, vi ignis separatur: de quo precipiant ij, qui rerum occulta detegunt, Chymistæ: qui, vt commētatur Manardus, composita in quædam velut elementa segregant: quorum id, quod igni respondet, maximæ est potentiæ. Proponit ergo Mesues, quo pacto ouorū, iuniperi, gagatis, aliorumq; similibus olea, Chymica distillatione eliciantur: quo pacto igniti laterculi, oleo cōmuni imbuti, vi ignis stillent acerrimum liquorem, naphthæ æquipollentem.

*Quarta  
summa  
cap. 51.  
Parte 3.  
Medic. de  
torrefactione  
medicamentorum.*

CALCINANT. Calcinatio secundum Geberum, est rei per ignem, pulverisatio, per priuationem humiditatis partes consolidantis: secundum Io. Baptistam Montanum, est perfecta victoria ignis adurentis in materia terrestri, non cremabili, cum arefactione totius humoris

ris